



**Arnoldi Corvini â Belderen, Batavi, Jcti quondam
Consummatissimi, Consilarii Electoralis & Professoris
Moguntini Publici, &c. Tractatus Geminus De Personis
Atque Beneficiis Ecclesiasticis Sive ...**

opus posthumum, diu desideratum, nunc demum excusum, & indice
locupletissimo instructum

De personis ecclesiasticis

Corvinus van Beldern, Arnold

Francofurti ad Moenum, 1708

VD18 10184902

De Jure Canonico seu Pontificio; Introductio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62002)

ARNOLDI CORVINI

à BELDEREN, BATAVI, & Jcti &c.

TRACTATUS PRIMUS

DE

PERSONIS

ECCLESIASTICIS,

INTRODUCENS

Ad

Genuinam Universi Juris Canonici seu
Pontificii explicationem.

††† 2

AR-

ARNOLDI CORVINI

et HELDEN, BATAVI, & C.

TRACTATUS PRIMUS

DE

PERSONIS

ECCLESIASTICIS

INTRODUCENS

Germaniam Universi Juris Canonici seu

Papaei explicationem.

AR. III 2



ARNOLDI CORVINI,
à Belderen, J.C. BATAVI,
DE PERSONIS ECCLESIASTICIS
TRACTATUS,
Ad Juris Canonici, seu Pontificii
universi explanationem.
INTRODUCTIO.



I.
Explicaturi Jus Canonicum univ-
ersum, Tractatum de personis Eccle-
siasticis præmittimus. Et huic hanc
Introductionem Generalem. Non
nova, sed methodo antea ab aliis
prædicatâ. Est enim is doctrinæ or-
do

A

do

do optimus, puta practicis in scientiis; ut ante particularia explicentur universalia.

Justinianus Imperator eundem observavit in tractanda sua Jurisprudencia Romana tota. *fac. l. i. ff. de Just. & Jure l. i. ff. si cert. petat.*

Quid mirum eundem observasse Nos in Jure nostro Canonico strictim explicato, & etiamnum observare in Tractatu hoc nostro.

II. *Jurisprudencia Romana* discrepat à *Canonica*; illà utitur *Politica*, five civilis potestas aut Magistratus; hâc potestas *Spiritualis*, five Magistratus Ecclesiasticus.

III. Magna tamen inter utramque est affinitas, mutuasque inter se tradunt operas.

Nam, ut Imp. Justinianus in *Novel. 83. in fin.* inquit, *Leges Civiles non dedignantur Sacros imitari Canones, & sacrorum statuta Canonum Constitutionibus Principum adjuvantur.*

Rectè ergò Baldus in *proem. decretal. num. 2.* ait; *Juris Canonici sanctitatem Juris Civilis sublimitate decorari, & Juris Civilis Majestatem Canonum auctoritate firmari.*

IV. Præterea totum *Jus Canonicum* partesque ejus, ad *Juris Civilis* partiumque ejus imitationem, ferè est digestum.

V. Nam *Decretum* (A Gratiano, Monacho Benedictino, circa annum Domini c. l. c. l. compilatum

tum

tum, ab Eugenio III. approbatum) respondet *Digestis*, quibus ut continentur *Responsa Prudentum* & *Senatusconsulta*: ita *Illo Apostolorum Canones*, & *Conciliorum Statuta*; quæ *Senatusconsultorum* loco esse possunt: *sententia Sanctorum Patrum*, quæ quasi *Prudentum responsa*: nec non *Pontificum* quorundam *Constitutiones*.

Codici respondent *Epistola Decretales*. Nam ut *Illo* conclusæ *Imperatorum rescripta*; ita *Hæ Pontificias* continent *Constitutiones*.

Sed quia non uno editæ tempore, ex eo in tres possunt dividi partes.

VI. Prima, in specie *Decretalium* retinuit appellationem, & à Raimundo fuit composita, à Gregorio IX. circa annum *MD. CC. XXXI.* confirmata.

VII. Altera, dicitur *liber Sextus*, vel simpliciter, *Sextus*. Et sic ad primam se habet partem, ut *Novella* ad *Codicem*.

VIII. Tertia, est *Constitutionum*, à Joanne XXII. Pontifice editarum; & duabus constat partibus. Quarum prior dicitur *Clementina*; eò quod constitutiones contineat à Clemente V. Pontifice conceptas anno *MD. CCC. VI.* & à dicto Joanne promulgatas anno *MD. CCC. XIX.* Posterior dicitur *Extravagantes*, eò quod *Decretales* in illam relatæ, & à Joanne XXII. editæ, extra librorum *Juris Canonici* textum sunt frequentatæ; haud aliter atque nonnullæ *Imperatorum*

torum Constitutiones Consuetudinibus *Fendalibus* addita.

Juri autem huic *Canonico* qui operam dare volunt, prius noscere debent, unde ejus nomen descendat.

Loquimur cum JCo Ulpiano, cujus *in l. i. ff. de Just. & Jure* verba sunt; *Juri operam daturum*, prius nosse oportet, unde nomen ejus descendat.

X. Fortasse mirum hoc videbitur, nos mone- re, prius discendum esse, unde *Juris Canonici* descen- dat nomen, quam quid sit *Jus Canonicum*; cum vera jubeat traditio à definitione proficisci; Ne, si ignore- mus, quid sit id, de quo disserimus, vagari & errare cogamur: *Cicero de Orat. & lib. i. de Offic.* Nec tamen est mirum.

Vera enim utriusque juris discendi, & cujusvis alterius disciplinæ, est ratio, ut à notatione incipia- mus, & *Verborum et ymologia*, quæ propositæ rei & vim aperit, & illustrat, *l. 2. §. 2. ff. si cert. pet. l. i. ff. de ac- quir. vel amitt. possess.* necessariumque habet usum, quoties res, de qua quæritur, eget interpretatione. *Quintilian. lib. i. Instit. cap. i.*

XI. *Jus* ergò *Canonicum* dictum, quia justum; *c. jus generale 2. §. jus autem dist.* Id est, ut vult D. Tho- mas *secunda secunda qu. 57. art. 1.* ars quæ cognoscitur, quid sit justum.

Canonicum additur, à Græco κανών, quod Latine regula; id quod normam rectè beneq; vivendi præbeat, vel

vel quod distortum pravumque corrigat. *c. 2. dist. 3.*
 Dicit Lucianus in Harmonide *ὄλι τὸ κεφάλαιον ἀρετῆς ἀπάσης
 ἢ γνάμων, φάσι καὶ ὁρθῶ, καὶ τῶν τριῶν, id quod est caput omnis
 virtutis γνάμων Ἔ regula.*

Appellatur *Pontificium*, quod Pontificem Romanum auctorem habeat. Sive quod ejus auctoritate vim habeat & sanctionem.

XII. *Jus enim Canonicum* dicitur, Jus positivum, quod à Summis Pontificibus Ecclesiae Romanae traditum, constitutum, vel approbatum est.

Traditum, quia in hoc jure quaedam sunt tradita, putate ex Sacris Scripturis excerpta, hic repetita; *ut in c. significasti 4. de election. can. sancta Romana dist. 15.*

Constitutum; ut sunt Epistolae Decretales, Rescripta, Constitutiones Summorum Pontificum.

Approbatum, additur in definitione; & quidem rectè. Nisi enim statuto adsit unum illorum, legis non habet vim. Est enim solius Principis & condere generalem legem, & abrogare, & interpretari. *ut in c. significasti 4. c. Ecclesia S. Maria. 10. de Constitution.*

XIII. Sic compilationes Decretorum & Decretalium ab Eugenio III. & Gregorio XIII. comprobatae. Decretales Sexti in Concilio Lugdunensi. Clementinae in Concilio Viennensi, Extravagantes per Pontifices alios.

XIV. Est *Jus Canonicum Scriptum* vel *Non-scriptum*. Quicquidem in Ecclesia tenetur Catholica,

lica, aut est Scripturarum auctoritas, aut universalis traditio, aut certè particularis institutio. *can. Catholica 8. dist. II.*

Scriptum, vel est *Divinum jus*, vel *Constitutio Ecclesiastica*.

Divinum Jus æstimate strictè sumptum, quod immediatè descendit ex lege veteri & Evangelio; aliàs & Jus Canonicum *Divinum* appellatur, sed largè. *can. junct. Gloss. I. 23. qu. 7. Abb. in c. nimis de jurejur.*

Ecclesiastica constitutio, propriè *Humanum Jus* dicitur. *c. non debet. 8. de consang. & affin. Abb. in c. licet ex quadam. de testib.*

XV. *Jus Divinum* est ergò quod in Lege continetur & Evangelio. *dist. I. in Sum.* Nec repugnat illud jus videri naturale. *c. I. dist. I.* Quia Jus Naturale ibi significat Jus Divinum: Vel Non omnia quæ sunt in Evangelio & Lege, Naturale sunt Jus; sed illa tantum particula: *Quæ quisq; jubetur facere, quod sibi fieri vult, & prohibetur alii facere, quod sibi fieri non vult.*

XVI. *Jus Divinum* hoc, omnibus aliis scriptis præfertur; Quia ad Sacra Evangelia & Apostolorum scripta, & reliqua quæ Legis sunt Divinæ, *Jus Pontificium*, ut ad cynosuram nautæ, respicit, neque quicquam adversus sacram paginam admittere Canonum Conditorum est intentio.

XVII. Est illud *Jus* etiam *immutabile*. Sed distin-

distinctiuncula hic opus hac. Quippe constat præceptis aut *moralibus*, id est mores informantibus; aut *mysticis*, id est, arcanis vel figuratis, & aliud quam quod littera sonat, significantibus. Illa sunt immutabilia; proinde adversus illa, maxime si sint Negativa, non dispensat Papa, cum obligent semper & ad semper. *s. his. can. 3. itaq. dist. 6. Archid. de pœnit. dist. 6. Abb. in c. literas. de restit. spoliat. post. Gloss.* Hæc itidem, sed secundum moralem intelligentiam. Quippe quantum ad superficiem videntur mutata.

XIIX. *Constitutiones Ecclesiastica*, sunt vel *Statuta Conciliorum*, tam *Generalium*, quam *Provincialium*, & *Episcopalium*: Vel *Decreta Pontificum*; vel *dicta Sanctorum Patrum. c. 2. s. porro. dist. 3.*

XIX. Nomen *Concilii* consultationem indicat cum resolutione. Appellatur & Græcè *Synodus*. Minus tamen propriè. Cum hæc ipsam congregationem ob exquirendum & concludendum Concilium significet.

XX. *Generalia Concilia* sunt, quæ Episcopi ex Orbe universo Sedis Apostolicæ auctoritate, *c. I. seq. dist. 17.* fidei Evangelicæ afferendæ causâ, in unum convenientes, condiderunt. *c. I. in princ. vers. sub hoc dist. 15.*

Generalia illa & *Oecumenica* dicuntur; in iisque repræsentatur Ecclesia Universalis.

XXI. Congregantur Apostolicæ Sedis auctorita-

ritate: Quia in illis Summus præfidet Pontifex ipse, vel Legati, ejus nomine. Alioqui nec sunt legitima, nec sunt rata. *dist. tot. 17. S. Thom. 2. 2. qu. 1. art. 10.* Nisi postea ejusdem Summi Pontificis accedat approbatio. *tot. dist. 16.*

XXII. Cum congregantur fidei Evangelicæ afferendæ gratiâ, & ritè & legitimè celebrantur, in iis quæ ad fidem spectant & mores, errare non possunt; sicut nec Ecclesia, præter *Canonistas S. Thomas. Quodlib. 9. art. 16. Lancelot. in Gloss. ad suas Institut. Canon. Jur. tit. 3. §. quorum verb. lib. 5. vers. Concilium.* Hac enim, cujus doctrina est in Conciliis, infallibilis nobis est regula. *S. Thom. 2. 2. qu. 5. art. 2. Cajet. 22. qu. 1. art. 1. ad 3. dubium.* In aliis quibusdam errare possunt Concilia, ut erravit circa matrimonium inter raptorem & raptam. D. Hieronymi prævalente sententia. *c. 4. c. tria 8. Lancelot. d. loco 36. q. 2. secund.*

XXIII. Hisce Conciliis Statuta propriè appellantur *Canones*; & ab omnibus per omnia debent servari. Nempe si à Summo Pontifice Romano fuerint confirmata: ut semper, ita nuper factum in S. S. Concilio Tridentino *sess. 25. in fin.* Nam cum Concilia non habeant auctoritatem super universa Ecclesia ex Jure Divino, cum illa *D. Petro* sit concessa & ejus *Successoribus*, ab iis confirmatio petenda.

XXIV. Inter *Concilia Oecumenica* maximè æstimantur quatuor priora, eorumque præcepta præcipuè

cipuè sunt observanda. Non quod omnia Concilia non sint æqualia, cum ab eadem sunt celebrata potestate, & par in parem non habeat potestatem. *c. innotuit. 20. de election.* sed quod universalia Concilia quoad ea quæ sunt fidei, sunt æqualia, non quoad ea quæ sunt morum. *Lancelot. d. loc. in Gloss. ad s. inter cetera.*

Priora illa quatuor Concilia sunt; *Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense. c. sancta octo. 8. dist. 16.*

XXV. Inter illa *primum* fuit *Nicenum*, celebratum anno à Salvatore nostro Jesu Christo 325. sub Pontifice Sylvestro; imperante Constantino Magno: *Rufin. lib. 20. histor. cap. 1.* in eoque à 328. Patribus condemnata fuit Arrii de inæqualitate Sanctissimæ Trinitatis blaspheemia. *c. canones 11. s. harum. dist. 15. can. quadam 39. vers. Arriani 24. qu. 3.*

XXVI. *Secundum* fuit *Constantinopolitanum*, scilicet *primum*, celebratum anno Domini 381. sub Pontifice Damaso: imperantibus Gratiano & Theodosio: in eoque condemnatus fuit à 150. Patribus Macedonius, Spiritum Sanctum Deum esse negans, *c. canones 1. s. secunda. dist. 15.*

XXVII. *Ephesinum*, scilicet *primum*, fuit *tertium*, & celebratum anno Domini 424. sub Celestino I. Pontifice, imperante Theodosio, in eoque damnatus fuit Nestorius, duas in Christo personas esse asserens. *d. c. canones. 1. s. tertia. dist. 15.*

VIXXX

B

XXIIX.

XXIIX. *Quartum* fuit *Chalcedonense*; actum anno Domini 442. Leonis I. & Martiani Imp. temporibus: in eoque à 630. Patribus fuere damnati Eutyches cum sequacibus, perniciosè circa Christi naturam errantes. *d. c. canones. §. quarta.*

XXIX. *Provincialia Concilia* sunt, quæ Ecclesiasticis de causis, Metropolitanò omnes Provinciae Episcopos convocante, celebrantur. *c. propter. 4. dist. 18.*

XXX. Ea tamen causam ipsius Metropolitanò, si de eo puniendo agatur, decidere non possunt. *sec. Abb. in c. grave nimis. 29. de præbend.* Cum ipse caput sit Concilii, *arg. l. pen. ff. de recept. arbit.*

XXXI. *Convocare* præter Metropolitanum & ea potest Legatus de Latere: *Archidiaconus & Turrecrem. in c. regula 2. §. porro dist. 3.* utpote Metropolitanò in Provinciis majorem habens potestatem. *c. si Abbatem 36. de election. in 6.* Maximè cum hoc non sit, ut voluit Joannes, *ad d. c. regula. de retervatis Pontifici. c. si quis Episcopus dist. 92. vide infra tit. 3. de Episc. & c.*

XXXII. *Celebrabantur* olim, ad minus in anno bis; *c. pervenit. 6. cum seq. dist. 18.* Hodie, ex præscripto Concilii Tridentini, *sess. 24. de reformat. cap. 2.* quolibet triennio.

XXXIII. *Episcopalia Concilia* sunt, quæ Episcopus in sua diocesi, convocatis Abbatibus, Presbyteris, Clericis, singulis annis celebrat. *c. pen. I. palea dist. 18.*

XXXIV.

XXXIV. Ad ea comparere tenentur etiam *Exempti*, qui aliàs cessante exemptione comparere cogi possent; nisi subsint capitulis suis generalibus, quæ certa sua habent Statuta.

XXXV. Ratione autem *Ecclesiarum Parochialium*, aut aliarum, etiam secularium adnexarum, & ii, qui earum curam gerunt, quicumque illi sint, comparere debent. *Concil. Trid. sess. 24. de reformat. d. c. 2.*

XXXVI. Hisce Conciliis Statuta, non propriè Canones, sed *Constitutiones* dicuntur, & tantum ejus Provinciae, Civitatis & Dioecesis homines devinciunt; *c. 1. dist. 18. Felin. in c. 3. num. 5. de jurejur. & c. 1. Ext. eod.* si puta, Canonibus Conciliorum universalium, vel Conciliorum per generalia receptorum, non adversantur: *c. 1. dist. 18.* & interdum Apostolicæ Sedis indigent confirmatione. *c. cum accessissent 8. de constit.*

XXXVII. Hæc, extra territorium, nequidem subditos obligant. Nam cum Jurisdictio, ut respicit territorium, limitetur intra illud, lex, quæ fertur territorio, non potest obligare extra illud; excederet enim Jurisdictio. *fac. c. 2. de jurisdict. in 6. & l. fin. ff. de jurisdict.*

XXXVIII. Proinde subditus, qui intra territorium quidem, sed in loco omninò exempto, contra Episcopi sui statutum delinquit, eo non tenetur: Li-

cet enim intra terminos territorii Episcopi sui continetur materialiter; non tamen formaliter, cum sit extra Episcopi sui jurisdictionem, quæ pro terminis talis loci cessat, *ut patet ex c. cum Episcopus 7. de offic. Ordin. in 6. Zæf. ad Decret. lib. 1. tit. de constitut. num. 32. ubi vide.*

Apostolicæ Sedis confirmatione roborata omnes & ubique Christianos obligant. *c. 1. dist. 20. Ratio est in c. si Apostolica 22. de præbend. in 6.*

XXXIX. *Decreta Pontificum* sunt Constitutiones Ecclesiasticæ, à Summo Pontifice, vel solo (Nec enim Pontifex consulit Cardinales, nisi ex decernit. Cum absoluta ejus sit potestas, nec à Cardinalibus dependens. *can. 3. cuncta. 9. qu. 3. c. 6. sunt quidam 25. qu. 1. Vide Felin. in rubr. de constitut. num. 2. Abb. in c. 2. num. 4. de cleric. non resident. Diss. Monach. in c. super. de hæret. in 6.*) vel Cardinalium consilio adhibito, aut ultrò, aut aliquo interpellante, factæ. *c. 1. de constit. c. 11. generali 25. qu. 1. Gloss. in c. omnes 3. dist. 1. c. 1. de rescript.*

XL. Ea, si *generalia* sunt, omnibus; *c. 1. de constit. si specialia*, iis quibus concessæ, legem imponunt. *Et can. ideo 16. §. neq. enim 25. qu. 1. c. privilegia 3. dist. 3. & tum privilegia dicuntur.*

XLI. Legem autem imponunt etiam in conscientia, & sub peccato. Cum Pontifici legitima sit potestas, cui resistens DEI resistit ordinationi. *secund. Apost.*

Apost. ad Roman. cap. 13. Et quidem interdum sub mortali, interdum & sub veniali: pro qualitate naturae & circumstantiarum, pro fine & intento legislatoris justo & rationabili; & interdum etiam pro affectu transgressoris. Quamvis communiter non obligent ad peccatum, vel non nisi sub veniali: *qua de re Navarr. in manuali cap. 29. num. 49. Et seqq. Zæf. de constit. num. 29.*

XLII. *Rescripta:* (sic per antonomasiam dicta, quasi responsa scripta) species sunt Constitutionum: Nam Jus inter partes, si ad eas restricta; si non, inter omnes, *Zæf. ad tit. de rescript. num. 18.* & in negotiis seu rebus, super quibus conceduntur, faciunt. *c. constitutus. 11. de concess. prabend. c. cum delicta. 22. de rescript.*

XLIII. Sed ita, si non per mendacium, aut veritatis occultationem sint impetrata. *Felin. inc. ad audientiam. 2. num. 22 27. Et c. super literis. num. 17. de rescript.* Nam si in iis per malitiam falsum sit expressum, vel verum suppressum, Impetrans in suæ perverfitatis pœnam nullum consequitur ex litteris istis commodum: Si verò contigerit hoc per simplicitatem, aut ignorantiam, rescriptum operatur nihil, si veritate cognita non fuisset rescripturus; secus si petitioni nihilominus annuisset Pontifex. *Innoc. c. super. tit. 20. de rescript.* Ratio prioris partis, & in defectu voluntatis, quem suppressum verum, vel expressum, falsum

caussat: & in perversitate, quæ eam meretur poenam, consistit. *d. c. super. 20.* Est enim æquum, ut precator mendax careat impetratis, ne ei fraus sua patrocinetur. *c. sedes. 15. in fin. eod.* Posterioris partis, quoad membrum prius, ratio consistit in per vitia ista caussato defectu voluntatis ejus qui rescribit; qui non voluit aliàs Rescripta sortiri effectum, quam stante allegatæ causæ veritate. Nisi clausula; *Pro expressis haberi, quæ sunt suppressa, aut aliàs nocitura supplicanti,* purget vitium. Quod & videtur dicendum, si justissima ignorantia caussaverit suppressionem. *ut inc. gratia 7. eod. in 6.*

XLIV. Valent etiam *Rescripta*, quibus quid contra juris communis regulas conceditur: *fac. c. 1. § 2. dist. 19. § c. 3. dist. 29.* Nec non quæ præter jus conceduntur; *d. all.* Puta circa ea quæ jure non decisa, uti est, *Beneficiorum impetratio.*

XLV. Sed quæstionis est, an *Rescriptum secundum Jus*, ita sit accipiendum, ut operetur ultra Jus Commune? Respondendum, quod non. Nam rescriptum tale intelligendum ita, ut jus commune lædat quam minimè; estque ad illud reducendum; & ulterior, quam admittit Juris ratio, non est facienda interpretatio. *Felin. inc. caussam 18. num. 6. de rescript. imò, secundum Abbat. ibid. num. 6.*

XLVI. Rescriptum dubium reduci debet, etiam si sumenda sint verba improprie; Cum enim conceda-

cedatur rescriptum ad Juris conservationem, nihil contra jus continere debet.

XLVII. Sunt *Rescripta* literæ, c. 1. *Et passim de rescript.* à Summo Pontifice, c. 2. eod. sive motu proprio, c. si motu 23. *Et seq. de prebend. in 6.* sive aliquo suggerente (suggestio illa vocatur *Intimatio*, c. 2. *de rescript.* vel *Insinuatio*, c. 3. *de procurat.* vel *Relatio* c. 4. *vers. nos vero. eod.*) & aut conquerente, c. 2. *Et 4. eod.* & supplicante, c. ult. *de eo qui cogn. consang. uxor.* aut consulente, c. *consuluit 24. de offic. jud. deleg. emissæ.*

XLIX. Posteriora *Rescripta*, prioribus, si de iis habeant mentionem, aut si is, qui impetravit priora, iis dolo vel culpa intra annum non sit usus, c. *si autem 9. c. plerumq. 29. de rescript.* præferuntur. c. *ceterum 3. §. 1. ubi Dd. eod.*

Cum aliàs, maximè in beneficiis, ordo sit servandus, ut puta prior Impetrans sit præferendus; c. *tibi qu. 22. eod. in 6.* Nam temporis prioritas, jus ejus facit esse potius. Adèd ut collatio posteriori prius facta, non valeat in detrimentum prioris, non tantum si ipse Pontifex contulerit beneficium. *juxta c. eum cui 7. de prebend. in 6.* sed etiam si tantum gratiam impetraverit ad vacaturum. Idque tribus casibus: I. Si posterior quidem præsentaverit literas suas, prius tamen illi præbenda vacans sit collata. Tunc enim in pari causa prioritas datæ eum, cui prior gratia facta, si concurrat, præferet.

feret. *d. c. eum cui. 7. in princ.* II. Si per Executoris dati insinuationem, & ne cui alii conferatur præbenda inhibitionem, jus sit quæsitum priori, quod ei auferri non debet postea. *d. c. tibi. qu. 12. vers. idem quod.*

III. Si gratia prior irritans contineat decretum, contra quod contigerit attentari; Tunc enim & ante receptionem ac præsentationem prioris nihilominus affecta erit præbenda, & posteriori non conferetur cum effectu. *d. c. tibi qu. 12. in fin.* Quod decretum huiusmodi & afficiat ignorantes. *c. si postquam 13. c. si beneficia 20. & c. pen. de præbend. in 6. Zaf. ad d. tit. num. 19.*

XLIX. Præferuntur itidem regulariter rescripta specialia Generalibus. *c. pastoralis 28. de offic. Jud. deleg. c. studuisti 7. de offic. leg.* Quia generi derogatur per speciem. *c. 1. in fin. de rescript.*

L. Quod si tamen ejusdem datæ sive diei sint Rescripta, erit distinguendum: *c. duobus 14. eod. in 6.* utrum Impetrantium alteri beneficium per Pontificem sit collatum, an utriq; an neutri. Priori casu, is cui est collatum beneficium, est potior: non obstante eo quod alter litteras prior obtulerit, & beneficium fuerit adeptus. Nam per collationem à Pontifice factam, & effectum sortitam, meritò præferendus est ei, qui minori suffultus gratiâ præfens jus non habet. Posteriori casu, stante paritate gratiæ in utroque, is in præbenda potior, qui præsentavit litteras suas primus; cum propter vigilantiam, quam jura commendant,

l. pupillus 24. ff. que in fraud credit. tum quod in dubio videtur impetrasse prior, qui presentat prior; unde possidentis conditio semper iudicatur potior. *c. si à sede. 31. de prebend. in 6.* Quod si uterque concurrat, iis ad quos receptio aut collatio spectat, conceditur electio, & gratiæ impetratæ effectu cariturus non electus. *d. c. si à sede 31. in fin.*

L I. Quæ contra Rescriptorum fiunt formam, infirmantur. *c. cum dilecta 22. vers. dictum de rescript.* Quippe, ut Rescriptorum, facienda interpretatio strictè, si sint contra commune Jus, ut ab eo recedatur quam minimè, & in dubio ad jus Commune, etiam per interpretationem verborum seu transpositionem clausularum, reducantur, *sec. Abbat. in c. causam 18. num. 1. de rescript.* sic Rescriptorum forma diligenter servanda, nec extra terminos & clausulas facienda est extensio; *per c. prudentiam 21. in fin. pr. de offic. Judic. deleg.* præcipuè si tertii agatur præjudicium, quod evitandum omninò. Si quidem tacita subintelligitur conditio; *sine Juris alterius præjudicio. c. quamvis. 8. de rescript. in 6.* Nec enim solet Rescribens beneficium in alterius tribuere præjudicium. *l. nec avus 4. C. de emancipat.* Nisi eum aliud voluisse appareat. Ut, si hoc exprimat.

L II. Sanctorum Patrum dicta vim Constitutionum habent; puta ea quæ collectore Gratiano, ex Doctorum Ecclesiæ scriptis, auctoritate Eugenii III.

C

sub

sub nomine Decretorum, juris nomen & vim acceperunt, & sacris Canonibus sunt inserta. *can. 1. Et per tot. dist. 20.*

Nec enim iis Legis vis per se, & quatenus ipsorum S.S. Patrum nituntur auctoritate, ulla. *Gloss. ut notat Et collig. ex dist. 20.* Lex enim non tantum est actus doctrinae, sed & potestatis. Qua caruere Patres, nec eâ intentione tradidere sua scripta. Nec Gratianus attribuire iis potuit auctoritatem, quam non habuit ipse. Sed emanare censetur à Pontifice id, cui impertitur auctoritatem. *fac. l. 1. §. sed neq. C. de veter. jur. enucleand. vide c. 2. 3. 4. Et 5. de constit. Covar. 4. var. resolut. cap. 12. Zæf. in præfat. cum Decretal. num. 10.*

LIII. *Jus Canonicum Non scriptum*, in Ecclesie Romanæ Consuetudine recepta consistit. *c. nolite. 3. c. Ecclesiasticarum. 5. dist. 11. c. ex literis 9. de constit.*

Nomen consuetudinis accipitur, vel pro ipso usu & frequentibus moribus; vel pro ipso jure, quod ex usu diuturno, moribusque nascitur; ut hic.

Est ergo *Consuetudo*, jus quod moribus introductum.

LIV. Sed non moribus Laicorum. Nisi illud à Prælato loci fuerit approbatum, aut siue expressè, siue tacitè receptum. *Zæf. ad tit. de consuet. num. 5.*

LV. Hoc, si neque bonis moribus, neque Decretis, neque Conciliis aduersetur, in rebus & juribus Eccle-

Ecclesiasticis Constitutionis scriptæ habet vigorem.
can. diuturni. C. dist. 12. c. consuetudo. 5. dist. 1.

Dico, neq; Decretis, neq; Conciliis aduersetur;
 Quia debet esse rationalis, communitati utilis.
 Quippe requirit materiam bonam, honestam. Foret
 enim improbum eam, quæ bonis moribus contraria,
 ligare. Qualis est ad bonorum invitans dissipatio-
 nem; poenæ propter adulterium indulgens remissio-
 nem: *c. ex parte. pen. de consuet. disciplinam enervans*
Ecclesiasticam: c. cum inter 5. c. venerabilis. 7. eod.
canonicis institutis obvians ad inducendam corrupte-
lam: d. c. cum venerabilis 7. Ecclesiæ impediens liber-
tatem: Laicis super bonis personisque Clericorum ju-
dicandi attribuens auctoritatem: c. 1. & 3. eod. Eccle-
siasticarum dignitatum plurium retentionem sine
Apostolica concedens dispensatione: c. 1. eod. immi-
nuens reverentiam & auctoritatem Sacris debitam.
c. 4. eod. & c. pen. de consecrat. Eccles.

LVI. Potest tamen per *Consuetudinem uni-ver-*
salem, lex Ecclesiastica universalis abrogari vel in to-
 tum, vel pro parte. Ut & per *particularem, lex par-*
ticularis. Nam cum altera sit Juris species, non mi-
 nor est Lege; Quæ subsequens abrogat priorem.
fac. Clement. fin. de atat. & qualit. præficiend. & c. 3.
eod. in 6.

Nec hîc ex Pontificis conniventia potestas deest
 populo. Nec aduersantur loca quædam *ex distinct. II.*

desumpta; quæ non admittunt Consuetudinem contra Canones. Loquuntur enim vel de ea quæ non est rationabilis & legitimè præscripta; *juxta cap. 5. inst. de Consuetud.* vel de ea quæ est contra jus naturæ vel divinum: ut ipsa docent loca. Nec etiam repugnat, *can. 7. institutionis 25. qu. 2.* Loquitur enim de Inferioribus expressè communi Juri derogantibus aut contravenientibus, & sic contumacibus. *Zæf. ibid. num. 10.*

LVII. *Stylus*, (qui propriè est graphium, quo olim scribatur in tabulis; unde transitivè usurpatur pro scripto, vel cujusque more solito.) *Romana Curia* etiam, ubi Jus non est contrarium, allegari potest in decisionibus: *c. literas 2. de juram. calum. Panorm. ad c. ex literis de constit. Felin. ad c. 2. num. 16. de rescript.* Nam contra Stylum factum improbat in *l. sacri affatus 6. C. de divers. rescript. vide Panorm. in c. ex literis de constitut.* ubi Stylus pro Lege habetur, & norant Interpretes. *& c. 7. de præbend. in 6. Felin. d. loc.*

LIIIX. Est autem *Stylus*, formula, quæ Aula Romana Curiales, in rescriptis, vel aliis negotiis expediendis, utuntur. *c. cum in causis 8. de sent. & re jud.*

LIX. Omne *Jus Canonicum* versatur circa tria; *Personas, Res & Judicia.*

Judicia dico, non *Actiones*; Quia de Jure Canonico actionum solemnitas & rigor exquisitus, est sublatus. *c. dilecti 6. c. examinata 15. de Judic.*

LX. Videndum hoc tractatu, de *Personis*; quarum causâ cætera omnia adinventâ. *Genes. 1.* Quia propter quod unumquodque tale, & illud magis tale. Facit etiam, quod præferenda sint digniora. *§. 3. vers. aliam. Instit. de bonor. possess. ubi not. & l. justissime 44. ff. de Edil. Edict. & l. si quis in metallum 17. C. de pænis.*